Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8496
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



30

bus vnentibus · et impascuis · pinguibus pascentur super montes israel · Ego pascam oues meas · et eas accubare faciam dicit dominus deus · Quod perierit requiram · et quod abiectum fuerit reducam · et quod confractum fuerit alligabo · et quod infirmum fuerit consolidabo · et quod pinguis et fortis custodiam · et pascam illas in iudicio · et iustitia · Dicit dominus omnipotens · ℟ Respice domine et aspice deus · et respice super filios tuos · ℣ Duc domine in conspectu eius omnes gentes seruorum tuorum · Sin antem

Illo tempore · Dixit iesus · Cum uenerit filius hominis in maiestate sua · et omnes angeli eius cum eo · tunc sedebit super sedem maiestatis suae · et congregabuntur ante eum omnes gentes · et separabit eos ab inuicem · sicut pastor segregat oues ab hedis · et statuet quidem oues · ad dexteris suis · hedos autem ad sinistris · Tunc dicet rex his qui ad dexteris eius erunt · Venite benedicti patris mei · possidete paratum uobis regnum · a constitutione mundi · Esuriui enim · et dedistis mihi manducare · Sitiui · et dedistis mihi bibere · Hospes eram · et collegistis me · Nudus · et cooperuistis me · infirmus · et inuisistis me · in carcere · et uenistis ad me · Tunc respondebunt ei iusti dicentes · Domine · quando te uidimus esurientem · et pauimus · Sitientem · et dedimus tibi potum · Quando autem uidimus te hospitem · et collegimus te · Aut nudum · et cooperuimus te · Aut quando te uidimus infirmum · aut in carcere · et uenimus ad te · Et respondens rex dicet illis · Amen dico uobis · quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis mihi fecistis · Tunc dicet rex · et his qui a sinistris eius erunt · Discedite a me maledicti in ignem eternum · qui paratus est diabolo · et angelis eius · Esuriui enim · et non dedistis mihi manducare · Sitiui · et non dedistis mihi potum · Hospes eram · et non collegistis me · Nudus · et non cooperuistis me · infirmus · et in carcere · et non inuisistis me · Tunc respondebunt ei · et ipsi dicentes · Domine · quando te uidimus esurientem · aut sitientem · aut hospitem · aut nudum · aut infirmum

46